

(43. *Secundo*, falsantes litteras Apostolicas si sint Clerici, sunt ipso Jure privati Officiis, et Beneficiis Ecclesiasticis, cit. c. *Ad falsariorum*, ibi: « Clerici, qui Falsarii fuerint deprehensi, omnibus Officiis, et Beneficiis Ecclesiasticis perpetuo sint privati; » Fagnan. loc. cit. n. 38, et alii communiter. (46. *Tertio*, Clerici de tali crimine convicti, prævia degradatione Judicis Ecclesiastici, traduntur Curiae sæculari secundum Constitutiones legitimas puniendi, scilicet ultimo supplicio, seu pœna mortis, cit. cap. *Ad falsariorum*, ibi: « Ita quod qui per se falsitatis vitium exereuerint, postquam per Ecclesiasticum Judicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur secundum Constitutiones legitimas puniendi, » et quod sint puniendi pœna mortis tenent ibi Fagnan. num. 40. Hostiens. num. 8, et alii passim, et ita practice fuit tempore Innocentii X., cum Francisco Canonici, alias Mascabruno Subdatario, qui, ut refert. Card. de Luca in tract. *de Pension. disc. 69*, num. 1, a summo Pontifice ad Purpuram jam destinatus, veluti alter Sejanus, ex consuetis fortunæ ludis, ad manus Carnificis transitum fecit. Sententia contra Mascabrunum lata fuit die 3 Aprilis 1652, a Hieronymo Boviotto Locumtenente Gubernatoris, de unanimi totius Congregationis Criminalis ejusdem Gubernatoris voto, et assensu, in pœnam ultimi supplicii, nempe furcarum, sed ex speciali gratia Sanctissimi ad relationem Gubernatoris mutata in pœnam amputationis ca-

Apostolica litteras impetrasset, quarum tenor poterat esse suspectus, et eis uti voluerit, ut statutam pœnam evaderet, primo facienda esset collatio de falsa Bulla cum vera; et si eam invenisset falsitate inquinatam Episcopo Diocesano, etc., non differret presentare. III. Præcipitur Episcopis, ut generalem excommunicationis sententiam promulgarent, quamque per singulas Parochias frequentius facerent innovari: quod si quis falsas litteras se cognoverit habere, infra quindecim dies illas destrueret, ac resignaret, si pœnam excommunicationis vellet evadere; quam excommunicationem semel incursam sibi reservat laud. Pontifex per hæc verba: « Quam (nisi forsitan in mortis articulo) sine speciali nostro mandato a quocumque nolumus relaxari. »

Qua vero ratione ex memorato cap. *Dura* deduci possit, eo nimirum loci excommunicationis sententiam latam in cap. *Ad falsariorum* adversus eos, qui litteras Apostolicas temerare, aut falsare ausi fuerint, reservari, non satis perspicio. Ibi enim nulla adversus hujusmodi falsantes Apostolicas litteras spiritualis pœna decernitur, sed, ut patet, excommunicatio, aut suspensio adversus eos, qui litteras hujusmodi ab aliis receperint, quam e manibus Pontificis, aut illorum qui ad hujusmodi officium fuerint deputati. Secundo pariter decernitur, ut excommunicatio vel suspensio veritate comperta post factam collationem de veris Bullis cum falsis, ab Episcopis proferatur adversus illos, qui hujusmodi litteras reportaverint. Ac demum excommunicatio pariter ab Episcopis ferenda decernitur in provinciali Concilio adversus eos, qui falsas litteras penes se habere cognoscentes, intra viginti dies illas non destruxerint, aut resignaverint; quæ postrema excommunicatio semel contracta, ut diximus, reservatur per illa superius adducta verba: *Quam nisi forsitan*, etc. Cum itaque in toto hoc Cap. *Dura*, nulla adversus falsantes spiritualis pœna decernatur, non recte docuisse

videtur Auctor noster cum Fagnano adserens excommunicationem Cap. *Ad falsariorum*, per laud. Cap. *Dura*, hic reservatam fuisse. Deinde isthæc excommunicatio, quæ in Cap. *Dura* postremo loco, uti diximus reservatur, non est, ut patet, ab ipso Jure, sed per Episcopos ferenda decernitur adversus retinentes, aut conservantes hujusmodi falsas litteras, atque intra statutum tempus non resignantes; licet ipsi falsarii non sint, neque usi fuerint, neque habeant animum utendi; quia sola retentio, et conservatio hic per excommunicationis pœnam plectenda decernitur. Sed in cap. *Ad falsariorum* nulla de hujusmodi retinentibus mentio occurrit; sed tantum de ipsis falsariis, qui per se, aut per alios falsitatis crimen exereuerint cum *favoribus*, aut *defensoribus*; de utentibus hujusmodi falsis litteris, aut easdem impetrantibus. Ergo somniasse videntur, qui excommunicationem prolatam in cap. *Ad falsariorum*, reservari per cap. *Dura*, arbitrati fuere. Hæc porro, nisi rebus per se luculentissimis, et meridiana luce clarioribus tenebras offundere velimus, germana, et naturalis videtur laudatorum Decretalium interpretatio; cui adhaerendum, quisquis rem diligentius perpenderit, non temere nobis pollicemur; præsertim cum hac in re secuti simus Cl. viros Barbosam in *Collectan. ad hoc cap. Dura*, et Suarez. loc. cit.

(49. *Quarto*, falsis litteris Apostolicis utentes, si Clerici sunt, Officiis, et Beneficiis privantur, si laici, sunt ipso facto Excommunicati, cit. cap. *Ad falsariorum*, ibi: « Qui sub nomine nostro litteris falsis utuntur; si Clerici fuerint, Officiis, et Beneficiis Ecclesiasticis spoliuntur; si laici, tandiu maneat ex-

communicationi subjecti, donec satisfaciant competenter; » et infra: « Quod et de his, qui falsas litteras impetrant, statuimus observandum. » (50. Unde ex his ultimis videtur, quod falsis litteris utentes, et falsas litteras impetrantes, sed non exercentes per se falsitatem æquiparentur. (51. Nihilominus Cardin. in cap. final. col. ultim. in princip. vesp. *Per hoc*, tit. eod. expresse dicit impetrantem rescriptum per falsi subreptionem, aut taciturnitatem, non incidere in pœnam falsi, sed carere impetratis, et insuper teneri ad omnia damna, et interesse, et sequitur Præpositus in c. *In memoriam* num. 3, et 7, dist. 19. Alioquin (dicit Fagnan. l. cit. num. 55.) si omnes impetrantes per subreptionem litteras Papales, inciderent in pœnas cit. c. *Ad falsariorum*, oh! quam multi reperirentur illaqueati! Quare impetrantes litteras Papæ per subreptionem non esse excommunicatos censet S. Antonin. in 3 part. tit. 13, cap. 13. Silvester in verb. *Excommunicatio* 7. num. 9. vers. *Et secundo*. Card. Cajet. eod. verb. cap. 6. Suarez disp. 21, *de Censur.* sect. 2, n. 52. Pirhing. lib. 5, *Decretal.* tit. 20, num. 28. Fagnan. loc. cit. n. 54, et 55, et alii. Et ratio est, quia licet tales litteræ falsam informationem contineant, ideoque invalidæ sint, sunt tamen in ordine ad expeditionem veræ, ideoque qui tales litteras impetrant, non sunt falsarii, puniuntur tamen in eo, quod carere debeant omni commodo litterarum, et in expensis condemnentur; c. *Super litteris* 20, *de Rescript.* et insuper tenentur ad omnia damna, et interesse; Hostiens. in cit. c. *Ad falsariorum* 7, *de Crim. Falsi*, Suarez disp. 31, sect. 2, num. 50. Fagnan. l. cit. n. 54, et 55, et alii apud ipsum, Pirhing. l. cit. num. 28, et alii. (52. *Quinto*, qui scienter habent falsas litteras Apostolicas, nisi intra viginti dies illas lacerent, aut restituunt, subjacent excommunicationi, cap. *Dura* 4, *de Crimin. Falsi*, ibi: « Si quis falsas litteras se habere cognoscit, intra viginti dies illas aut destruat, aut resignet, si pœnam excommunicationis voluerit evadere. »

(53. Retinentes scienter falsas Litteras Apostolicas ultra viginti dies subjacent Excommunicationi, etiamsi illis non utantur, nec utendi intentionem habeant; Barbosa in cit. c. *Dura* num. 2, Pirhing. loc. cit. num. 27. Reiffenstuel loc. cit. num. 33, et ratio est, quia textus in cit. c. *Dura* § final. non loquitur de iis, qui falsis litteris utuntur, sed de iis, qui penes se habent falsas litteras, et illas non lacerant, vel non restituunt intra 20 dies, et tales nullam excommunicationem incurrunt, nisi latam a Judice, prout ibi dicitur; Pirhing l. cit. num. 27. (54. Falsans litteras Apostolicas, etiam semel tantum, incurrit pœnas latas in cit. cap. *Ad falsariorum* 7 *de crim. Falsi*. Et ratio est, quia licet dictum caput utatur verbo *Exerere*, ibi: « Exercent, » quod reiteratos actus videtur significare, tamen in dispositione pœnali in unico actu verificatur, juxta textum in § *Item Lex Julia*, *Instit. de public. Judic.* et late Farinac. in *Praxi crim.* lib. 5, *de Falsitate*, quæst. 251. num. 31, Fagnan. in cit. c.

Ad falsariorum num. 26, 27, et 28, Ursaya *Instit. crimin.* lib. 3, tit. 6, num. 8. (55. Falsarius litterarum Apostolicarum etiam occultus incurrit pœnam Excommunicationis et privationis Officiorum, et Beneficiorum eo ipso, quo crimen committit. Glossa in Clement. in verb. *eo ipso, de Hæret.* Fagnan. loco citat. numer. 62. (56. Pœna autem degradationis ei infligitur solum, si criminaliter sit convictus, sive per viam accusationis sive inquisitionis. Fagnan. loco citat. numer. 63, et 64. (57. Dictæ pœnæ contra falsantes litteras Apostolicas procedunt, quamvis ex hujusmodi *Falso* nullum, aut modicum damnum emergat; Palao tract. 29, disp. 3. punct. 7, num. 4. Bonacina tom. 3, *de Censuris*, disp. 1, quæst. 7, punct. 2 n. 5. Reiffenstuel l. cit. num. 33, et alii. Et ratio est, quia *Falsum* in illis sub dictis pœnis prohibetur, non tam propter damnum inde secutum, quam propter contemptum Supremæ Auctoritatis, a qua litteræ veniunt, ut omnis occasio Falsi in his evitetur. (58. Nomine litterarum Apostolicarum in ordine ad pœnas contra earum falsarios non solum veniunt Bullæ Datarie, et Cancellariæ Apostolicæ, sed etiam Secretariæ Brevium. Sic declaravit Innocent. X. Constit. 51. in ordine. Bellam. in c. *Ex litteris, de fide Instrum.* num. 3, Andr. ibid. num. 4, Butr. num. 4, Hostiens. num. 6, quos ita intelligit Farinac. in *prax. crimin.* quæst. 151, n. 24. Ursaya *Instit. crim.* lib. 3, tit. 6, num. 2. (59. Ubi quod hoc non procedit in falsificantibus litteras Episcoporum, et Nunciorum, quia hæc non sunt proprie litteræ Apostolicæ; Fagnan. l. cit. n. 24. Ursaya loc. cit. num. 3, et alii. (60. Immo secundum multos apud Raynal. lib. 2. observ. ad cap. 18. supplet. 2. neque hoc procedit in falsificantibus litteras Legati, vel Delegati Summi Pontificis, Sacræ Pœnitentiariæ, et Sacrarum Congregationum, quia non sunt litteræ Papæ, et ideo cum sint diversa, fit illatio; l. *Papinianus exuli*, ff. *de Minor.* Raynal. l. cit. n. 9. Fagnan. loc. c. n. 24. qui tamen ibidem subjungit esse advertendum inter litteras Apostolicas comprehendit litteras Pœnitentiariæ secundum Doctores citatos num. 58.

(61. Falsificans litteras Papæ, et Imperatoris punitur pœna mortis. Sic cum multis Panimoll. decis. 76. num. 17. et communis aliorum. (62. Sic etiam punitur pœna mortis falsificans litteras Regias, aliorumque Supremorum Principum; l. *Majorum*, et l. *Ubique*, Cod. *Ad leg. Cornel. de Falsar.* et sic statuunt fere omnes cujusque Regni, (63. et supremi Principatus Constitutiones, seu Ordinationes, vel leges; quarum plurimæ statuunt etiam pœnam mortis contra falsificantem litteras Proregis, Locumtenentis, Vicarii, Senatus, Magistratus, aut alterius Tribunalis; et inter alias Constitutiones, et bannimenta Civitatis, et Legationis Bononiæ, ut refert Raynal. tom. 2. observat. ad cap. 18, § 3. statuunt sic: « E se alcuno dolosamente in qualsivoglia modo falsifichera, o falsamente imiterà il Sigillo, Patente, salvi condotti, lettere, o altre scritteure dell' Illustriss. Legato,

Reverend. Vicelegato, o Governatore, incorrerà nella pena dell' ultimo supplicio. » (64. Clericus falsificans sigillum Principis est ab Ordinibus deponendus, et impresso illi Characterem in signum commissi delicti, in exilium mittendus absque alia pœna corporali, ut statuit Urbanus III in cap. *Ad audientiam* 3. de *Crimine Falsi*. (65. Clericus falsificans litteras Episcopi, vel Capituli est ab Officio, et Beneficio suspendendus; c. *Si Episcop.* 7. distinct. 30. et cap. *Tam litteris* in § *fin. de Testib.* et deducitur ex c. *Quando*; ubi Gloss. in *fin. de iis, quæ sunt a Prælat.* Bellet. *Diquisit. Cleric.* part. 2. tit. *de Pœnit. Cleric.* § 44. num. 6. Panimoll. num. 6. (66. Regulares falsificantes sigillum, vel litteras Prælatorum puniuntur juxta constitutiones particulares cujusque Religionis. (67. In nostro Ordine Fratrum Minorum de Observantia falsificantes sigillum, vel litteras Prælatorum carceri mancipantur ad arbitrium Provincialis, pro qualitate delicti; si vero litteræ falsificatæ fuerint Generalis, vel Commissarii Generalis, a carcere liberari non poterunt absque expressa licentia dictorum Prælatorum Generalium. Statut. Toletan. tit. *de Falsariis*. Portell. verb. *Falsarius* num. 6. Qui vero litteras Prælatorum Generalium, Provincialium, etc., destruxerit, impediens, vel aperuerit, non dicitur Falsarius, licet graviter etiam puniatur pro qualitate delicti; Compend. Sanctor. verb. *Falsificatio* num. 7. in fine, et est casus reservatus; Compend. Sanctor. verb. *Casus* num. 15. ibi: « Generalis, vel Provincialis, aut eorum Secretarii litteras tum missas, tum accipiendas impediens, frangentes, falsificantes, vel quomodolibet intercipientes. »

(68. Pœna ordinaria committentis quodcumque crimen *Falsi*, olim circa Nobiles erat deportatio cum omnium bonorum publicatione, circa Personas viles damnatio ad Metallum, circa Servos ultimum supplicium; l. 1, § *fin. de Leg. Cornel. de Falsar.* l. *Si quis* 38, § 7. ff. *de Pœnis*. Hodie tamen imponitur ex Arbitrio Judicis prudentis pro diversitate circumstantiarum, prout notat Glossa in cit. l. § *fin. verb. Eorum*, taliter quod aliquoties possit esse pœna pecuniaria, et aliquoties pœna corporalis, et etiam capitalis; l. *Ubi Falsis* 22. Cod. *Ad Leg. Cornel. de Falsar.* ibi: « Supplicio capitali, si id exigat magnitudo commissi. » (69. Pœnæ falsariorum in specie sunt variæ pro diversitate *Falsi* ab eis commissi. Pœna falsi testis in causis civilibus erit deportatio; l. in princip. § *fin. ff. Ad Leg. Cornel. de Falsar.* et insuper tenebitur actione in factum ad damna, et interesse, quæ passus est alter propter ejus falsam depositionem; Farinacius q. 67. num. 2. et seq. et communis aliorum. In causis vero Criminalibus est pœna *Talionis*, id est pœna illa qua falso accusatus condemnatus fuit, vel condemnari, seu puniri debuisset; cum hac tamen advertentia, quod si condemnatio, seu punitio falso accusati secuta non fuit, tunc mitiori pœna a Judice arbitrandam erit puniendus; Farinac. qu. 67. num. 11 et 15. et alii passim. (70. Si falsus testis

sit Clericus, iste ab Officii honore depositus in Monasterium detruditur, cap. *Si Episcopus* 7. distinct. 50, juncta Authent. *Presbyteri*, Cod. *de Episcopis et Cleric.* Vel ad Triremes, aut perpetuos carceres damnandus est, quia loco detrusione in Monasterium olim consuetæ, hodie succedit damnatio ad Triremes, vel perpetuos carceres, teste Fagnano in cap. *Cum non ab homine, de Judicis* num. 104. Farin. quæst. 119. num. 55. (71. Hæc tamen ordinaria pœna Clerici *Falsi* limitatur, et in arbitrium reducitur, quando Falsum committit sine præjudicio notabili tertii, et solum circa accidentalia. Menochius *de Arbitr. Jud.* casu 306. num. 22. Jul. Clarus, § *Falsum* 9 et 25. et alii.

(72. Pœna Notarii scribentis falsum Testamentum vel instrumentum erit deportationis, vel alia arbitraria, vel etiam amputationis manus, quando agitur de magna falsitate, et pluries reiterata. Farinac. q. 155. num. 11. Immo si exigat facti circumstantia, poterit extendi etiam usque ad mortem, juxta textum in l. *Ubi falsi* 22. Cod. *Ad Leg. Cornel. de Falsar.* Et ultra pœnam criminalem tenebitur etiam ad damna, et interesse Farinac. quæst. 115, num. 11, et 12. (73. Hæc pœna puniuntur etiam falsificans manum alicujus, vel exemplans copiam diversam ab originali; l. *Quod sit*, ff. *Ad Leg. Cornel. de Falsar.* (74. Pœna Advocati et Procuratoris Falsum committentis, præter ordinariam assignatam sub num. 68, est etiam quod teneatur ad reparationem damni, ac insuper ad arbitrium Judicis pro diversitate personarum, et circumstantiarum puniri possit pœna pecuniaria, carceris, et etiam Triremium pro qualitate delicti. Communis, et patet ex Raynal. observat. ad cap. 19, § 1, in *Expositione bannimenti Civitatis et Legationis Bononiæ*. (75. Pœna Judicis falsum committentis olim erat exilium, et capitis; l. *Lex Julia* 7, § *fin. ff. de Jul. repet.* Hodie vero pro diversitate circumstantiarum, est privatio Officii, et dignitatis ac inhabilitas ad judicandum, confiscatio bonorum, vel etiam pœna exilii, Triremium, et capitis. Menochius *de Arbitr. Jud.* casu 432, a num. 7, Farinac. quæst. 111, a num. 4, et alii. Judicis autem Ecclesiastici falsum committentis pœna, præter ordinariam, est suspensio a Divinis, et compensatio damni illati; cap. 1, *de Sent. et re judic.* in 6.

(76. Pœnæ falsificantium legitimas mensuras et pondera præter ordinariam pœnam *Falsi*, est quod ad duplum restituendum, nec non ad insulam damnentur; l. *Hodie* 32, § 1, ff. *Ad Leg. Cornel. de Falsar.* ac insuper per triginta dies in pane, et aqua plectantur, cap. *Ut mensuræ 2 de Empt. et vendit.* (77. Pœna fabricantium falsam monetam est confiscatio omnium bonorum, damnatio ad bestias, ac ultimum supplicium, et insuper sunt reicriminis læsæ Majestatis; l. 5, et 2, Cod. *de Falsa moneta*. (78. Pœna impediendum aliquem testari, vel jam factum testamentum mutare, vel ad testandum compellentium, si hoc factum fuit cum armis, habebit locum pœna leg. *Jul. de Vi public.*; si vero sine ar-

mis, pœna extraordinaria, et Judicis arbitrio regulanda. Farinac. quæst. 161, n. 4, et sequent. et tenebitur insuper qui id fecerit ad damna, et interesse illi, qui ex hac prohibitione, vel concussionem præjudicium passus est. Farinac. quæst. 161, num. 8. (79. Pœna supponentis falsum partum olim erat ultimum supplicium l. 1, *ad Leg. Cornel. de Falsar.* sed hodie est pœna extraordinaria *falsi*, quæ erit exilium. Farinac. part. 16, quæst. 159. num. 239, cum sequent. et Brugiot. *Institut. crim.* lib. 2, tit. 13, num. 17. (80. Pœna eorum, qui falsum committunt, occultando, surripiendo, supprimendo, corrumpendo, abradendo, lacerando, vel comburendo scripturas publicas, vel libros Mercatorum, vel mutando sibi nomen, aut similia faciendo, regulariter erit illa leg. *Cornel. de Falsar.* juxta Textum in l. 1, § *Qui*, ubi Glossa verb. *Reus est*, et l. 1, *Cod. de Mutat. nominis*. (81. Gerens se pro Curia, seu assumens nomen Curie cum non sit, sicut gerens se pro Magistratu, cum non sit, puniuntur pœna Legis *Julie Majestatis*, l. 3, et ibi Angelus num. 2. ff. *Ad leg. Jul. Majest.* Panimoll. decis. 76, num. 29, cum aliis ibi citat. (82. Limitatur tamen hæc regula, quando falsus actus non fit animo usurpandi Principis jurisdictionem, sed ad alium finem, nam tunc non intrat pœna mortis, sed pœna *falsi* arbitraria. Bart. in leg. *Omnes populi*, num. 14, ff. *de Justit. et Jur.* et ibi Jason, num. 45, ad fin. Decian. tract. *Crimin.* lib. 7, cap. 9, n. 5, et 9, Panimoll. loc. cit. num. 30. Farinac. *Cons. crim.* 74, num. 1, et 2, ubi testatur de communi. (83. Ingrediens propterea sub nomine Curie domum alicujus mulieris animo carnaliter eam cognoscendi, non incurrit pœnam mortis sed Triremium. Farin. loc. cit. num. 11, et per tot. *Consil.* ubi in fine consil. subdit quemdam Marcum Antonium hujus criminis reum salvatum fuisse a pœna mortis, sed non a pœna Triremium; Panimoll. loc. cit. num. 31, et 32. (84. Aliorum falsariorum pœnas qui distincte scire desiderat, adeat Farinacium, Afflict., Raynal. aliosve Criminalistas, et sufficiat pro complemento hic scire, quod ad hoc ut quis de falso pœna ordinaria puniri possit, (85. tria copulative requiruntur, scilicet quod veritas sit immutata, alteri nocitura, et dolo facta, ut de communi testantur Farinac. *Consil. crimin.* 114, n. 12, et 36. Panimoll. decis. 76, num. 2. Cephal. consil. 355, num. 44, volum. 3, et alii passim. (86. Unde his tribus copulative concurrentibus, pœna ordinaria arbitrio Judicis imponenda est, juxta dicta num. 73.

(87. Falsificantes Litteras Apostolicas, et supplicationes signatas, excommunicantur; Benedict. XIV. tom. 1, Constit. 14, incip. *Pastoralis Romani* § 6, dict. Bulla Cœnæ. Falsitas in expositione facti expressa, punienda est ad formam juris. Idem Constit. 25. incip. *Ad Apostolica* § 5.

(88. Falsariorum malitia cavenda est Litterarum Apostolicarum executoribus. Idem tom. 2, Const. 51. incip. *Magna Nobis*. Falsitas enim in pluribus antiquis exemptio-

num privilegiis reperta est. Idem Constit. incip. *Causarum Palatii Apostolici*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(89. Definitioni *falsi* ab Auctore traditæ adde cum Antonio Matthæi *de Criminib.* lib. 48. tit. 7, cap. 1, numer. 1, verba hæc: *seu suppressio*. (90. Infinitæ vero sunt species *Falsi*. Sed non incommode ad duo summa capita referri possunt, nimirum ad falsum *testamentarium*, et falsum *nummarium*. *Testamentarium* proprie dicitur, quod committitur circa testamenta. At ejus pœna producta est de Senatusconsultis, et Principum Constitutionibus ad alia instrumenta, litteras, nomen, testimonia, accusationes, obligationes, mensuras, pondera. *Nummarium* committunt, qui monetam adulterinam faciunt, feriunt, qui nummos aureos radunt, tingunt, fingunt. Longum autem esset, de utroque falso pro dignitate agere. Vide, si lubet, mox *laudatum* Auct. Pauca tantum afferemus de Falso prioris generis.

(91. Num is, qui adulterinum testamentum non fecit, sed usus eo est, seu, ut loquuntur Leges, ipsum *recitavit*, teneatur lege *Cornelia*, quæri solet? Teneri statutum est in l. 2, ff. *ad Leg. Cornel. de Fals.* tum in l. 8, Cod. eod. At Papinianus in l. 13, § 1, dict. tit. respondit: « In Cornelium falso recitato, non facto, non incidit. » Sunt qui negationem huic loco detrahunt pro non *incidit*, legendo, *incidit*; sed obstant Pandectæ Florentinæ, quæ hanc negationem habent. Alii distinguunt inter pœnam ordinariam et extraordinariam. At in dict. l. 2, ff. dict. tit. conjungitur recitans falsum, cum eo, qui fecit. Sicut igitur pœna ordinaria tenetur qui fecit, ita et teneri debet qui recitat. Distinguunt et nonnulli inter recitantes testamentum falsum, et recitatore alterius instrumenti, sed Leges adductæ de quocumque instrumento loquuntur. Assentior Antonio Matthæi, qui ait, post Papiniani responsum demum constitutum, et receptum fuisse, ut recitator quoque Lege *Cornelia* teneretur; Vide eundem, ubi supra num. 2.

(92. Disputari et de hoc solet, an Lege *Cornelia* teneatur is, qui non falsum testimonium dixit, sed verum reticuit? Distinguunt aliqui, utrum pecunia accepta id fecerit necne, et priori casu teneri volent, non item posteriori. Sed Antonius Matthæi, loc. cit. n. 12, probat, et quidem solidissime, teneri, sive pecunia accepta, sive gratis tacerit. Consule omnino ipsum.

(93. Gravior est quæstio, an in Legem *Corneliam* incidat, qui pecuniam ob testimonium dicendum accepit, nec tamen productionem, sed Adversarium ipsius testimonio suo juvit? Negant fere omnes ea de ratione, quod hic, tametsi accepit pecuniam, falsum testimonium minime dixit. Sed Antonius Matthæi, eodem loco num. 13, incidere tenet, quia verba Legis sine distinctione ita concepta sunt, ut si quis ob testimonium dicendum pecuniam acceperit, pœna falsi coarceatur, l. 1, § *Sed et si quis*, ff. dict. tit.